

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

55. Spiritus Mercurii dulcis Basilii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

tione sine vas frige fieri, & amove ab illis recipientia, quæ singula quàm optimè clausa servabis, ne respirent, & singulis singulas schedulas sive inscriptiones appone, alterum pro altero accipias, cum fuerit opus persequendi. Caterum super terras (*auri & argenti ex destillatione relictas*) infunde iterum, ut supra, de aqua sua per balneum destillata, ac annexo antenotario putrefac ut supra, mox per cineres destillabis, utriusque vasi annexo suo proprio recipiente, ubi eorum corporum animas conserva veras, atque hoc pacto magisterium toties iterabis, donec terræ exanimatæ fuerint, ac radicali humore destitutæ. Tunc accipe illas terras, & contere quàm optimè, & simul conjunge: Postmodum eas constitue in pila vitrea, ac super cineres calidos conservato, donec tibi dixerò, quid ex illis sit faciendum. Caterum accipe spiritum animatum lunæ, atque ipsum per cineres rectificabis, deinde accipe spiritum animatum solis, atque eodem modo septies per cineres rectificabis; limositates (*terram residuam*) autem, quas emittet spiritus solaris in singulis rectificationibus servabis intra, ut optimè clausum sit ignis elementum, (*in formâ terræ.*) His ergò rectificationibus peractis: Tum accipe spiritum animatum solis, & spiritum animatum lunæ, & simul conjunge: Pone postmodum eos ad circulandum in vase grandi sicut illud, quo circulavimus menstruum simplex. Fiat hæc circulatio per 60 dies, quo termino elapso habebis verum menstruum minerale (*non acidum, sed ex mineralibus sive mercurio, auro & argento confectum*), quo innumerabilia experimenta operari poteris.

Huc referri debet menstruum quod à Basilio dicitur,

55. Spiritus mercurii dulcis Basilio,

Cap. 2. Libri de Rebus Nat. & Supernat.

R. Mineræ cinabarinæ argenti vivi, & mineræ optimæ auri ana partes æquales, quibus pulverisatis & mixtis affunde oleum mercurii per se ex mercurio sublimato, & putrefacto confectum (*id est, oleum ex mercurio sublimato tantum, nullis quidem aliis additis ingredientibus, nisi vini phil.*

V

spi-

Spiritu, vel menſtruo aliquo vegetabili, ſine quibus confici non poteſt,) digere hæc per menſem, & extractionem habebis cœleſtem potiùs, quàm terreſtrem; Extractionem abſtrahe in balneo, & phlegmate abſtracto remanebit oleum in fundo ponderoſum, diſſolvens omnia metalla in momento. Cui adde ſpiritus vini (phil. vel ſpiritu vini igneum Baſilii) partes tres, circula in pellicano ad rubedinem ſanguineam, & dulcedinem incomparabilem. Circulatum affunde ſuper tartarum ad albedinem calcinatum, & deſtilla forti igne mercurii ſpiritu, ſpiritu vini remanente in tartaro.

Inter hunc ſpiritu; aliumve ejuſdem nominis diſtinguendum eſt, ne unus pro alio accipiatur. Baſilius enim præparavit etiam ſpiritu mercurii ex ſpiritu albo vitrioli, de quo variis in locis, libro de particularibus, præſertim in particulari lunæ, cujus ſpiritus deſcriptio extat inferiùs inter menſtrua mineralia, quia acidus eſt. Alter verò ſpiritu mercurii, utpote hic noſter, dulciſſimus eſt & fragantiſſimus, de quo etiam habetis in particulari lunæ, ut & cap. VII. libri de Rebus Nat. & ſupernat. ubi lunæ crocum diſſolvit in ſpiritu albo vitrioli, ut & fragantiſſimo ſpiritu mercurii.

Parifinus composuit menſtruum mercuriale compositum pro tincturis alchymicis ex ſuo circulato majore & prima vel media ſubſtantia argenti vivi vulgi hoc modo.

56. Menſtruum incalcinatum Parifini,

Cap. G. Apertorii.

Re. Circulati majoris (ſuperiùs ſub No. 50. deſcripti) libram unam, mercurii præparati, modo quem docebimus cap. X. uncias duas, miſce, & ſcias menſtruo hoc fieri veram putrefactionem. Verum quam-primùm fuerit incalcinatum, hoc eſt, tali mercurio permixtum, non ampliùs uſurpatur pro corporibus humanis, ſed ſolummodò pro medicina metallorum, dictum verò cap. X. hoc eſt, ut ſequitur:

Cap.